

CAPUT LXVII.

EQUITES HAIDEN DE DORFF.

IN Austria duæ olim & armis & genere distinctæ floruerunt Haidiorum Familiæ. Una Haidii de Gunderstorff & Achau (*Haiden von Gunderstorff*) vocati sunt, & Officium Sub-Pincernæ (*Unter-Schencken-Umbt*) in Austria hæreditario Jure possederunt. Clara Haidin hujus egregiæ Stirpis proles ex Gynæceo Beatricis Hungariæ Reginæ sub umbilicum seculi decimi quinti Andreæ Kornfail de Weinfeldten (cujus Parens Udalricus Kornfail antiquam familiam suam ex Helvetia in Austriam circa Annum 1400. transtulit, ubi adhuc conspicua est,) in manum venit. Ei Regina Hera sua in summæ benevolentiæ tesseram Scyphum argenteum deauratum ex more illius seculi nuptiale donum obtulit, utque gratiæ Regiæ memoria perpetuo existeret, hos rythmos Poculo incidi curavit:

Als Kornfail die Clara Haydin nahm /
 Auß dem Frauen-Zimmer lobesam /
 Die Königin Beatrix gut /
 Zu Hungarn und Böhemb wohlgemuth /
 Schenckt ihr diß Gschirz auff die Hochzeit /
 Voller Ducaten mit grosser Freud. (a)

Sed hæc Haidiorum de Gunderstorff prosapia seculo decimo sexto ad finem vergente ad plures abiit. Altera Haidiorum Stirps, quæ jam recensenda est, hodiernum floret, & à prædio gentilitio Dorff nominatur, *Haiden von Dorff*. In Archivo Statuum Austriæ Wolffgangi Haiden de Dorff memoria occurrit, qui Anno 1417. Alberto Archi-Duci à Cubiculis (*Cammerer*) fuit, (b) & ab eodem Principe consensum alienandi prædium *Eostorff*/ quod Liberis N. *Trachters* fuerat, Anno 1421. accepit. (c) Henricus Haiden ad Annum 1437. memoratur. (d) Erhardus Haiden de Dorff, Hartmanno à *Röttenberg* bona nonnulla Anno 1441. resignavit. (e) Idem Erhardus An: 1444. homini suo villam in *Singenberg* propriam tradidit. (f) Hieronymus Haiden circa An: 1500. clarus, vir multæ authoritatis & magnarum opum in Austria superiore fuit; de quo *Valentinus Prevenhueber* in *Chronico Civitatis Steyer* vernacula lingua hæc memoriæ prodidit: *Hieronymus Haiden / zum Dorff der Stadt Steyer guter Nachbar / erbott sich durch Schreiben / derselben / als Anno 1529. Wienn von den Tür-*